Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 637
Quelle:
Copyright:

nunc ad manum non est, molietur.

Adhaerent Codici *Folia duo* vetusti *Necrologii* a XVI. Kal. Febr. ad X. Kal. Mart. Praecipua, quae in iis notantur, Nomina sunt:

XV. Kal. Febr. *Willebelmus* (de Champeaux) *cathalensis* (Chalons sur Marne) *Episcopus* ✠ 1121.

XII. Kal. *Dominus Richardus abbas de locedio.* (Loc-sive Lieu dieu) Duplex in *Gallia christ.* hujus nominis Virorum Ord. Cist. invenio Coenobium: unum Dioeceseos Remensis et in eo Abbatem *Richardum* ad. an. 1265. sed nimis hic recens videtur. Alterum in Dioecesi Ruthenensi fundatum an. 1123. Nullus tamen hic in Abbatum serie Richardus adparet.

Rainaldus Comes Burgundie ✠ 1148.

IX. Kal. *Gaufridus Episcopus* Carnotensis ✠ 1149.

VIII. Kal. *Marbarius strigoniensis episcopus.* In *Specim. Hierarch. Hung.* Cl. Praji P. I. occurrit inter annos 1156 — 58. sed *Martirius* audit.

VII. Kal. *Dominus Albericus abbas cisterciensis* ✠ 1109.

V. Id. Febr. *Conradus archiepiscopus salzburgensis* ✠ 1147.

Prid. Id. *Engilbertus dux carinthie*, Comes in Spanheim et Ortenburg ✠ 1147.

XVII. Kal. Mart. *Gertrudis regina Sicul.* Conradi III. uxor. ✠ 1166.

Ex his verosimile fit, Necrologium istud olim in Gallia coeptum postea nostris in oris continuatum fuisse, idque fortasse in Coenobio *Gottvicensi O. S. B. infer. Austriae*, quo Codex hic noster totus olim pertinuit.

CCIV. *VI. C. 14*

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 110. f. per duas columnas bene scriptus, rubricis distinctus et probae notae exhibet *S. Hilarii Pictaviensis* Episcopi Seculi IV. Scriptoris *Opera* et quidem I. *Elogium Hilarii* et *Carmen duplex*, prout indicatum est *Cod.* praeced. In priore tamen carmine variant sequentia: *Si hylarium. pictauis hunc genitum. In patre quique potens. Cupiens calcare prophanus.* Carmina excipit, ut ibi, *Epistola Hilarii ad filiam Afram*, in qua *n. 3.* pro *Maurianae* edit. *Spartum* legitur *textum. Hymnus matutinus* paene nil ab editis differens. Denique *Laciniae* illae *duae*, ut in *Cod. supracit*, sed hic ἀκέφαλοι, et initio pro *pratum bonum* habetur *ornatum bonum.*

II. *fol.* 2. p. 2. litera miniata quadra *Incipit Liber Sancti Hylarii De Sancta Trinitate.* Edit. *Maur. col.* 765. Lectio sat castigata est, Librique omnes XII. uti Primus, inscribuntur. L. II. nobis *fol.* 13. p. 2. legitur, ut in editis: *ita potestatis dignitas non amittitur. dum carnis humilitas adoratur.* L. IV. in edit. *n.* 33. locus